UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana Libri XVI

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

19. Critias.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70090

Visual Library

Critias.

CAPVT XIX.

NOn obſcuri quoque nominis inter veteres ſophiſtas a Critias, qui in graui genere dicendi exercitatiſsimus fuit. Nec tamen grauitatem verbis poëticis, aut dithyrambis metiebatur, ſed vocabulis maximè proprijs, vt natura poſtulat, concinnabat orationem. Inſigni b præterea breuitate, & magna Atticiſmi temperie loquutus, nihil habet inſolẽs, aut ineptũ. Huic Theopompum, licet Platonis, atq; etiam Iſocratis ætate inferiorem, tamen, quia ita cõmiſceri ſolent, ſubiungemus.

N. N.

a *Meminit huius Critiæ multis in locis Dion. Halicarn. maximè verò in Iſæo, vbi numerat eum inter* ἐναγώνιον ἀτεχνῶς ῥητορικὴν, *p.* 111. *edit. Francofurt.* b *Ab Hermogene iudicatur* σεμνὸς καὶ διηρμένος πρὸς ὄγκον.

Theopompus.

CAPVT XX.

Theopompus hic habet, vt notat Dionyſ. πολύμορφον τῆς γραφῆς, *& varia eruditionis ſupellectilẽ, in epiſt. ad Pompeium.*

Theopompus contra Longini cenſuram defenſus.

HErodoro, & Thucididi proximus Theopompus, Iſocratis diſcipulus, qui, vt in hiſtoria prædictis, minor, ita Oratori magis ſimilis. Dictionem habet liquidam, communem, perſpicuam, Iſocrati haud diſsimilem, &, vt ait Cicero in Bruto, Philiſti, & Thucididis conciſis ſententijs, interdum etiam non ſatis apertis, cum breuitate, tum nimio acumine officit Theopompus, elatione, atq; altitudine orationis ſuæ. Dionyſ. Longinus mordax Criticus eum irridet, quod vbi dona regi Perſarum, ab Aſiaticis oblata commemorat, poſt ſtragulam veſtem, purpuram, tabernacula aurea, periſtromata, emblemata, carnes etiam victimarum ſalſas, regi oblatas, ad alendum exercitum commemoret. Debebat, inquit iſta minuta, aut omittere, aut initio collocare, vt à minoribus ad maiora aſcenderet: ſed in eo frigidus eſt, & fruſtra mordax Longinus. Erat enim fidelis hiſtorici, & prudentis, poſt opulenta principum dona, tenuiorum quoque in colendo rege ſtudia commemorare, & rem, vt geſta eſt, deſcribere; quod ſi tantoperè perſonem auerſatur, quin Homerum ſuum numen reprehendit, qui tam ſimpliciter rem coquinariam à principibus obitam deſcribit, & quid hoc eſt, niſi μάγειρος, quod inſectatur in Theopompo φαντασία eſt.

Philiſtus.

CAPVT XXI.

THucididem quoque conſecutus eſt Syracuſius Philiſtus, doctus homo & diligens, qui cum Dion. tyranni familiariſsimus eſſet, otium ſuum conſumpſit in hiſtoria ſcribenda. Cui vt Thucididi amatores deſunt, Halic. in eo ἀταξίαν τῆς οἰκονομίας, καὶ δυσπαρακολούθητον reprehendit.

a *Habet hic characterem* στρογγύλον, καὶ πυκνόν, καὶ εὔτονον, καὶ ἐναγώνιον.

Plato.

CAPVT XXII.

COnſurge altius, eloquentia, Platonem video, qui dicendi maieſtate, aſſurrexit ſupra id omne, quod humanum eſt. Is eſt, in cuius ore mellificarunt apes, cecinerunt Luſciniæ, Suada ſeſsitauit. Parum eſt quod dico, Iupiter ſi græcè loqui voluiſſet, Platonis ore loquutus fuiſſet.

Atque, vt ille in cœli ſedens vertice, Deos, Deaſque omnes è catena aurea pendentes, ad ſe nullo negotio, vel reluctantes pertrahit: ita hic profectò quotquot fuerunt oratores, quotquot ſentiendi, dicendiq; magiſtri, ſapientia, grauitate, prudentia, & ſuauitate ſuperauit. Genus dicendi ſublime, excelſum, admirabile; aquilam diceres, quæ ſupra niues, pluuias, & grandines, ſupra nubes, & tonitrua, & ſupra id omne, quod mortale eſt, pennarum remigijs erecta, in illo puriori æthere ſuſpenſa conquieſcit, & nunc ſolem defixis intuetur oculis, nunc ad Iouis alludit fulmina. Ratio dicendi facunda, dulcis, amœna, veneribus depluens, flumen lacteum diceres labi ſine murmure, & in tuas aures, in ora, in intima pectora ſuauiter inundare. Salue igitur Heros, quem vulgari ore laudare penè piaculum eſt; in te, quod in Deorum ſimulacris, facit eloquentia; quorum vbi capita floribus redimiri non poſſunt, corona ſtatuitur ad pedes: Tu cum tuarum virtutum maieſtate omne faſtigium humanum exceſſeris, patere tibi, corollas iſtas, & floſculos ad pedes fundi, vel potius nos iube impreſſo ori digito ſilere, & mirari, modò tui Ariſtotelis monumentum hoc habeas.

Βωμὸν

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN